Scepticorum ἀπραξία non est Rationi consentanea.

COntineo assensum; toties Natura fefellit,
Quæ mihi, ceu Proteus mysticus alter, erit.
Nil exploratum; quia nulla κριτήρια veri,
Certum & scrutanti φάντασμα ὕδωρ ἐμοί.
Sensibus obsequerer? quota pars est fraudis in illis?
Quæque ego fœmineâ vix puto digna fide.
Occupat, heu! visum fallax erroris Imago;
Et Siren aures undique amœna rapit:
Quin subolent, Panthera, tui, quos spargis, odores:
Pauca Sapor loquitur, vel quia *pauca sapit*.
Sæpius amplexus fallit Junonia nubes:
Te fugit, Halcyone, conjugis umbra tui.
Néve valent rigidæ Rationis ahenea dicta:
Nil moror excelsi ferrea jura poli.

Ergóne nil certum? varias natura figuras
Induit; Ipsa tamen constat ubique sibi.
Quid? quia vera fames placidis Erisichthona frustis
Lusit; non habuit nec Cleopatra dapes?
Esto, quòd amplectar nubem, Junone relictâ;
Non fugit amplexus Nympha Juvenca Jovis.
Quid tuus iste Timor loquitur? canis advenit? Euge.
Vah! Pyrrhóne fugis? Sensibus ulla fides?
Pendula progenies hæc est, Magnetica turba,
Dogmata quæ tremulâ ferrea voce refert.

ERGO,

Succumbat dubiis proles Pyrrhonia: pœnas
Sic meritis dignas Sceptica turba luet.
Obtineant Græcis ἐνοχὴν incerta calendis;
Huic adhibenda foret tunc quoque *Græca fides*.

Dantur Substantiæ Incorporeæ.

SI mea cum vestro valuissent vota, Epicure,
Non foret úsque vigens tanti certaminis æstus;
Túque tuis, Hyle, nos te potiremur, amœnis
Deliciis. Quidni placeat tua Bruta voluptas?
Omnia corpus erit, variis induta figuris
Materies; procul hinc quin Spiritus exulet omnis,
Ceu Genius malus, & tenues vanescat in auras.
Siccine cœlestis languet tua flamma Prometheu?
Entheus iste vigor flaccescit? Mascula virtus
Torpet? Corporis ánne vices mutata subivit?
Quo duce scrutamur naturæ Cryptica? rerum
Quid petit Anfractus varios? quid discutit omnes
Errorum tenebras? quo Mens agitata furore
Prægnans incerti præscivit fata futuri?
Quidve rotat sphæras? terebrat Quid viscera Terræ?
Alta vel excelsi referat penetralia cœli,
Infernásque domos? poterítne lucerna Cleanthis
Luce orbata suâ radiis dare lumina sparsis?
Cogitat, & dubitat Mens, vult, culpatque, probátque.
Hæccine Materies, (rudis indigestáque moles,
Nec quicquã, nisi pondus iners) hæc Munera præstat?
Quin age, mens est materies; fuerítne profunda?
Longáve vel lata est? Magna est, vel parvula? Mollis,
Durave? quid? Calida est, vel frigida? Siccior illi
Temperies, magìs est aut humida? Crassa, levísne?
Quis color? albus erit, vel erit contrarius albo?

ERGO,

Si tibi nulla placet substantia corporis expers,
Hobbi, habeas corpus. Nobis tamen orta deorum
Sanguine progenies fuerit, quæ Spiritus audit.

Julii 2. 1655. *In vesperiis Com.* *Respond.* M^ro Burton *Coll. Magd. Soc.*

M^r [illegible] *Aul: Chan:* } *Oppon.*
M^r Wolrych *jun. Coll: Christi.* }

M^r Mildmay *Coll: Pet: Soc. Procurat. alt. Mod.*